



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 72. Iteratæ Maximiliani II. preces circa Sacerdotum conjugia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

Sæcul. XVI

A.C 1564

ros transmissuri essent, eo quod Pater, ut Filium eadem dignitate, qua ipse fruitur, auctum cerneret, unice curaturus foret: insuper perpendebat Pontifex, quod quoad cœlibatum, quamvis jure divino sacris Ordinibus non sit annexus, nullaque divina lex extet, quæ conjugatos Sacerdotio insigniri, vel Presbyteros conjugio copulari prohiberet, lex tamen Ecclesiastica, quæ Clericis cœlibatum præscribit, adeo vetus, omnique auctoritate communita sit, ut illam vel minime labefactare nefas foret: quapropter Pontifex hanc gratiam concedere renuit, atque ipsa præmatura mors, qua Ferdinandus die vigesima quinta Julii vivis ereptus est, rursus preces suas urgendi spatium eidem præripuit.

§. LXXII.

*Iteratæ Maximiliani II. preces circa Sacerdotum conjugia.*

Thuan. 68  
Rayn. l. c.

Nihilominus Maximilianus II. Ferdinandi Cæsaris Filius, qui eidem successerat, obtento vix Imperio rursus hæc preces exposuit, ac vehementibus literis Papam urgebat. Data est novi hujus Cæsaris epistola die vigesima quinta Novembris, in qua Pium IV. rogabat, ut de severitate circa Sacerdotes

dotes conjugatos nonnihil remittere, <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 atque ea in re Silesiis, Moravis, Bohe- <sup>A.C. 1564.</sup>  
 mis, atque Austriacis gratificari, &  
 ad eorum preces inclinari velit, cum  
 in hisce Provinciis absque hac indul-  
 gentia brevi nulli amplius Sacerdotes  
 reperiri possent.

§. LXXIII.

*Cæsaris rationes pro indulgendo Sa-  
 cerdotum conjugio.*

**H**isce literis Cæsar brevem addidit  
 explicationem earum rationum,  
 quæ Sacerdotum conjugii favere vide-  
 bantur: præprimis autem hæc expone-  
 bantur: „negari non potest, utriusque  
 „testamenti testimoniis uxores Sacerdo-  
 „tibus permitti, cum constat, quod Apo-  
 „stoli ipsi paucis exceptis conjuges ha-  
 „buerint: porro id, quod Christus post  
 „eorum vocationem mandaverit, ut se  
 „ab Uxoribus separarent, nullo loco re-  
 „peritur: insuper liquet in prima Orien-  
 „tali, & occidentali Ecclesia usque ad  
 „tempus prohibitionis a Calixto Papa  
 „factæ, Sacerdotum conjugia libera, ac  
 „licita fuisse; proinde cum natura no-  
 „stra fragilis sit, & omnium ætas ab  
 „adolescencia in malum prona, nec non  
 „caro sit stimulus peccati, arctissima  
 „que continentia via, paucique repe-  
 „riantur, qui carnis stimulum non sen-  
 „tiunt,